

circa Lumelli aetatem floruit, scripta omnia reipublicae Alexandrinae, quae nullo habito ordine, ac discrimine in civitatis dispersa scriniis servabantur in uno volumine ordinatim, quod *liber Crucis* dictus postea fuit, exscripsisse, illudque in idem tabularium retulisse perpetuis temporibus asservandum.

Quidquid sit non solum ex hoc libro plura in rem suam derivavit Lumellus, sed ex aliis quoque tabulariis uti apparet ex iis quae profert in libro memorato praetermissis. Illud tamen peccavit (quod tamen erratum aliis ejus aetatis haud vulgaribus scriptoribus excidit) ut antiquam dierum mensis computandi rationem haud fuerit assecutus. Usus est quoque veterum historicorum libris MSS., ut ea, quae ex Genuensium Caffari, Scribae, et Continuatorum Annalibus, et Gulielmi Venturae Astensis, et Gottifredi Chronicis produxit, demonstrant. Statuta etiam et suae et proximarum civitatum versavit. Miror autem de hoc scriptore altum apud majoris operis auctorem et civem suum Schiavinam haberi silentium, cum tamen mentionem fecerit cujusdam Francisci Mariae Lumelli, qui Raphaelis nostri filius fortasse fuit, ejusque miram in pingendo peritiam celebraverit. „ Rem ejus verbis referam. „ Per id tempus floruit Franciscus Maria Lumellus, optimae spei adolescens Alexandrinus, „ cui in pictura, cui se a teneris annis addixit, nullo doctore, nec magistro praecunte, „ sed sui ipsius tantum studio, et industria, imitationeque exemplarium ejus artis principum adeo mirificus evasit, ut facile si vita superstite aetatis reliquum sic ut priores „ annos in ea disciplina posuerit, vel excellentissimo cuique pictori invidiam sit „ facturus. „

Haec de Lumello. Reliquum mihi nunc est veniam lectoribus exorare, si quid in hoc opere tumultuarias inter occupationes magna ex parte confecto humanitus exciderit. Si enim labi facile omnibus est, quanto levius in hac materia, quae et temporum, et morum, et minimarum etiam rerum notitiam expostulat, ne in Chronologia, in nominibus, personis, factis, legibus erretur, praecipue in tanta veterum codicum legendi difficultate, et exemplarium depravatione. Conatus equidem sum plura in notis secundis curis confectis emaculare, alia etiam in Typographicis erratis emendare: at quis certo sibi persuadeat, nil quod egeat amplius correctione superesse? Ego profecto ultro fateor paratum esse quaecumque vel ex repetitis curis, vel amicorum, aliorumque doctorum virorum benigna monitione minus recte scripsisse cogovero, corrigere ac retractare.